



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Hemmingus Ep. 21. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

396 VITÆ SANCTORUM. 21. Junii.  
cælo judicata est nobilissima hæc fami-  
lia; in quam utinam more veteri tran-  
sire ignobiles nos terræ filii aliquando  
possimus! *Ex Ferrar.*

*Voca Deum Patrem, & da operam,  
quatenus tibi sit lælestis vita, divini mo-  
res, & forma Deitatis tota tua præferatur  
informa; quia cælestis Pater respondentes  
generi suo filios muneribus ditat divinis;  
degenerantes ad pœnalem revocat servitu-  
tem. S. Chrysol. serm. 71.*

S. HEMMINGUS EP.

21. Junii.

**I**N HEMMINGO Aboënsi Pont. à  
primis annis jam eæ morum gemmæ  
emicuerunt, quæ insulæ olim majestatem  
decerent; ita jam tum in puero nihil  
puerile præter ætatem erat. A ludis om-  
nibus alienus, totus studiis seriis jam  
tunc occupabatur, & in his ipsis unius  
Dei gloriam quarebat, semper in cæ-  
lum collimans unicum scopum suum,  
sed Christiano homini, ut non aberret,  
fatis magnum. Et talis ille etiam dura-  
vit, postquam Collegio Canoniorum  
adscriptus fuit, nisi quòd tunc, ut alii  
numorum, ille virtutum potius cen-  
sum



21. Junii. VITÆ SANCTORUM. 397  
sum auget. Dignum ergo tunc, Su-  
peri judicant, cui D. Brigittæ ortum  
non sine miraculo nuntiarent. Visa enim  
est precante HUMMINGO puella è nu-  
be lucidâ librum apertum orbi porrige-  
re, & vox ad aures ejuscemodi allapsa:  
*Nata est Birgero filia, cujus admirabili  
voce uniuersus mundus personabit.* Sed &  
ipse HEMMINGUS pro concione saxa  
mollire, & ad Deum feros animos vo-  
ce suâ trahere, & jam Regibus etiam ac  
Pontificibus reprehensione aures velli-  
care; omnes interea orationes incipere  
à Virginis laudibus, & suis scilicet fi-  
niri. Temporis avarus ad verba atiosa  
mutus adfuit, ad epulas verò Tantalus.  
Pro oculorum portis excubabat, ne has  
ulla femina visa subiret, erantque tam  
sanctis vigiliis tessera illa verba è sacris  
nostris: *Averte oculos meos, ne videant  
vanitatem.* Inter preces sæpè aliò, mo-  
riens denique inter easdem in cælum est  
abreptus. *Ex Vite Aquil. Vastovii.*

*Deus te, qui caelestem tibi Patrem vo-  
cas, ad caelestem vult tendere naturam, ut  
generi tanto vita respondeat; ut terreni  
mores degenerent, quos caelestis donavit &  
contulit natura. S. Pet. Chrys. serm. 69.*

B. ALOY-